

*Ego sum resurrectio et vita.*

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Ioánnem

11, 17-27

- <sup>17</sup> Venit Iesus Bethániam  
et invénit Lázarum  
quáattuor dies iam in monuménto habéntem.
- <sup>18</sup> Erat autem Bethánia iuxta Hierosólymam  
quasi stádiis quíndecim.
- <sup>19</sup> Multi autem ex Iudáeis  
vénerant ad Martham et Mariám,  
ut consolaréntur eas de fratre.
- <sup>20</sup> Martha ergo  
ut audívit quia Iesus venit,  
occúrit illi;  
María autem domi sedébat.
- <sup>21</sup> Dixit ergo Martha ad Iesum:  
«Dómine, si fuísses hic,  
frater meus non esset mórtuus!
- <sup>22</sup> Sed et nunc scio  
quia, quaecúmque popósceris a Deo,  
dabit tibi Deus».
- <sup>23</sup> Dicit illi Iesus:  
«Resúrget frater tuus».
- <sup>24</sup> Dicit ei Martha:  
«Scio quia resúrget in resurrectióne  
in novíssimo die».
- <sup>25</sup> Dixit ei Iesus:  
«Ego sum resurréctio et vita.  
Qui credit in me,  
etsi mórtuus fúerit, vivet;
- <sup>26</sup> et omnis, qui vivit et credit in me,  
non moriétur in ætérnum.  
Credis hoc?».

<sup>27</sup> Ait illi: «Utique, Dómine;  
ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei,  
qui in mundum venísti».

Verbum Dómini.